



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Capitularia Regvm Francorvm**

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

V. Capitula excerpta ex lege Longobardorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

debent, quod nullum scriptum falsum faciant, nec in occulto aliquod scriptum faciant, nec de uno comitatu in alio nisi per licentiam illius Comitis in cuius comitatu stare debent. Quod si Notarius alter fecerit, quod fecerit appareat inane & vacuum. Si vero necessitas in itinere aliquem compellaverit, aut infirmitas gravis, secundum Capitularem genitoris nostri faciant.

## XII.

Lib. 3. tit. 57. Placuit nobis ut haec capitula, quae excerpimus de capitulis bona memorie avi nostri Karoli ac Domini genitoris Hludovici Imperatoris, ab omnibus sanctis Ecclesiis & nostris fidelibus in regno Italiae consistentibus pro lege teneantur & conserventur. Et quicunque eorum capitulorum contemptor extiterit, sexaginta solidos componat, sicut in capitulis predicti Domini avi nostri Karoli continetur.

## XIII.

Placuit nobis de liberis feminis quae sibi servos copulant, sicut ad nostram regiam potestatem pertineant, ita volumus ut

deinceps ad ipsos Longobardos pertineant ipsae cum filiis suis & filiabus eorum.

## XIV.

Statutum est ut si qua femina libera cum servo alterius se copulaverit, & parentes ejus eam anni spatio ad vindictam non dederint, volumus ut curta regia adquiratur. Si ipsa femina cum ipso servo annum & diem steterit, habeat eam cuius serva est, & filij qui ex ea nati fuerint sint servi sicut pater eorum.

## XV.

Statutum est ut si quis liber homo uxorem habens liberam propter aliquod crimen aut debitum servitum alteri se subdidet, eademque conjux cum ipso manere noluerit, ipsorum procreatio, quae de tali conjugio sit, libertatis statum non amittat. Si vero ea defuncta, secunda uxor, & tamen libera, tali se sciens junxit conjugio, liberi eorum servituti subdantur.

## XVI.

Ibid. c. 17. Si quis percusserit Presbyterum, id est, sacerdotem, componat auri optimi libras decem.

## TITVLVS V.

## SIVE

## CAPITVLA EXCERPTA EX LEGE LONGOBARDORVM.

## C A P. I.

Lib. 1. tit. 2. c. 15. & seqq. DE homicidiis in Ecclesiis vel in atriis earum commissis sic obseruentur & teneantur sicut in Capitulari priori constitutum est. Si quis ex levi causa aut sine causa hominem in Ecclesia interficeret, de vita componat. Si vero foris rixati fuerint, & unus alterum in Ecclesia fugerit, & ibi se defendendo eum interficerit, si hujus facti testes non habuerit, cum duodecim juratoribus legitimis per sacramentum affirmet quod se defendendo eum interficerit. Et si ipse auctor commota inter eos rixas extiterit, leendum interfecti componat, & insuper bannum nostrum solvere cogatur, & publicam agat penitentiam. Si autem non ille qui alterum interfecit, sed is qui interfactus est, eandem rixam commoverit, absque compositione jaceat, & is qui eum interfecit, secundum can-

num judicium publicam agat penitentiam. Si cujuslibet servus proprius hoc commiserit, judicio aquae ferventis examinetur utrum hoc sponte an se defendendo fecisset. Et si manus ejus exulta fuerit, interficiatur. Si autem exulta non fuerit, publica penitentia multetur; nisi forte ipse auctor commota rixas inter eos inventus fuerit. Tunc enim dominus ejus, juxta quod vvidrigild illius est, ad Ecclesiam persolvar, aut eum, si voluerit, eidem Ecclesiae tradat. De ecclesiastico & fiscalino seu beneficiario servo volumus ut pro una vice vvidrigild ejus pro eo componatur, altera vero vice ipse servus ad suppliium tradatur. Hereditas tamen liberi hominis qui propter tale facinus ad mortem fuerit judicatus, ad legitimos heredes illius perveniat. Si in atrio ipsius Ecclesiae, cuius portae reliquias sanctorum confecratae sunt, hujusmodi homicidium perpetra-

tum fuerit, simili modo emendetur vel componatur. Si vero porta Ecclesia non sunt consecratae, eodem modo componatur quod in atrio committitur sicut componi debet quod in emunitate violenter committitur.

## I I.

Ibid. c. 17. De homicidio unde lex pro simplicitate probationem trium testium querit, si testes habere non potuerit, concedimus ut cum duodecim juratoribus juret, & ab eadem simplicitate sit absolutus. Proprium tamen non amittat.

## I I I.

Ibid. c. 14. Postquam Comes & pagenes de qualibet expeditione hostili reverbi fuerint, ex ea die super quadraginta noctes sit banum recillum, quod lingua Teudisca herisiz, id est, armorum depositio, vocatur.

## I V.

Ibid. c. 10. Collectam ad malum faciendum omnibus modis prohibemus fieri. Et ubicunque hujusmodi presumptio[n]es factae fuerint, digna emendatione corrigantur. Et si per negligentiam Comitis vel facta fuerint, vel in emendata remanerint, hoc ad nostram notitiam perferatur. Auctores vero facti si fuerint Praepositi aut Advocati sive Sculda[ri]j, vel qualibet alia dignitate praedita libera persona, post legalem emendationem in loco factam sub fidejussionibus ad nostram veniant presentiam. Multitudo vero, sive de liberis sive de servis sit, legitima emendatione multetur.

## V.

Ibid. c. 19. Volumus ut si qualibet persona in finibus regni nostri ignem in silva comminare ausa fuerit, diligenter inquiratur. Et si servus comprobatus fuerit hoc fecisse, dominus ejus ad flagellandum & caput tonsendum tradat eum, aut pro eo quicquid damnietatis fecerit emendare cogatur. Si quoque libera persona hoc fecisse probata fuerit, emendare cogatur, & infuper banum nostrum componat. Et si non habuerit unde componat, flagelletur. Quod si factum fuerit, per meliores loci illius inquiratur. Et si in qualibet persona fuerit suspicio, si servus est, aut dominus ejus cum mittat ad judicium, aut ipse pro eo sacramentum faciat. Quod si libera persona fuerit, proprio sacramento se idoneum faciat.

## VI.

Ibid. c. 21. De fugitivis præcipimus ut ministri reipublicæ a domino fugitivorum nihil accipiant cum reddiderint eos.

VII.  
Videtur nobis de aldionibus ut sicut lex Ibid. c. 81, habet, ita fiat.

VIII.  
Præcipimus ut nova conditio aldioni à Ibid. c. 83, domino suo non imponatur.

## IX.

Qui sponsam alienam rapuerit, illa non Ibid. c. 30, contentiente, licet cum ea concubuerit, reddatur ei cuius sponsa est, & ducat eam, si velit: quia vim paſſa potius quam violata esse videtur. Quod si eam ducere noluerit, accipiat sibi aliam feminam. Tamen si ipsa nubere voluerit, excepto raptore, alteri, cui voluerit, legitimè copuletur. Raptor vero adulterij crimini reus teneatur. Quod si ipsa consenserit, similiter ut raptor a nuptiis alterius prohibetur; & is qui eam accepturus erat, aliam qualem voluerit accipiat.

## X.

De his qui discordiis & contentionibus Ibid. c. 39, stuperter solent, in pace vivere nolunt, & inde convicti fuerint, similiter volumus ut per fidejussiones ad nostrum palatum veniant, & ibi cum nostris fidelibus consideremus qui de talibus hominibus faciendum sit.

## XI.

De feminis qua viros amittunt, placet Ibid. c. 11, nobis ne se, sicut haec tenus, indiscretè ve- lent, sed ut triginta dies post decessum viri sui expectent, & post tricesimum diem per consilium Episcopi sui, vel si Episcopus absens fuerit, cum consilio aliorum religiosorum sacerdotum suorumque parentum atque amicorum id quod eligere debent elegant.

## XII.

Confobrinam, neptem, novercam, fratrem uxorem, vel etiam de propria cognatione, aut quam cognatus haberit, nullus presumat in conjugio copulare. Si quis huic tali nefario conjugio se conjunxerit, & in eo permanferit, sciat se episcopali auctoritate anathematis vinculo esse innotatum, & nullus sacerdos ei tribuat communionem. Si vero conversus divisiisque fuerit illicita copulatione, dignæ poenitentiae submittatur, ut sacerdos loci consideraverit.

## XIII.

De his conjunctionibus qua secundum Ibid. c. 15, canones & edictum copulare esse non possunt, placuit nobis ut separantur ab invicem; & qui de nostris judicibus neglexerit causam istam ad judicandum aut di-

stringendum, componat vidrigild suum.  
XIV.

Ibid. c. 13. De incestis conjunctionibus hoc praecepit, ut nullus deinceps propinquam, nec quam propinquus habuerit uxorem, ducat in conjugio, & uxor parentela ita sit viro sicut propria parentela.

XV.

Ibid. c. 11. Nulli licet, excepta causa fornicationis, adhibitam sibi uxorem relinquere, & deinde aliam copulare. Alioquin transgressori priori convenit sociari coniugio. Si autem vir & uxor divertere pro sola vita religiosa inter se consenserint, nullatenus sine conscientia Episcopi fiat, ut ab eo singulariter in praesido constituantur loco. Nam uxore nolente, aut altero eorum, etiam pro tali re matrimonium non solvatur.

XVI.

Ibid. c. 7. Nulli licet uno tempore duas habere uxores, vel uxorem & concubinam; quia cum domui non sit lucrum, anima detimentum sit. Nam sicut Christus castam obseruat Ecclesiam, ita vir castum debet custodire conjugium.

XVII.

Ibid. c. 19. De his qui proprietates habent, & spontanea voluntate aliqui delegant, & postea fraudulenter ab aliquo alio ignorantie premium de eisdem rebus venundatis accipiunt, & is cui ipsa res prius tradita fuerint, cognito negotio, anno integro silens non contradixerit, sed propter illusionem tacens fuerit, ut emptorem illudere possit, si intra patriam per anni spatium, ut dictum est, tacens fuerit, prior traditio nihil ei valeat. Ille vero qui post primam traditionem res vendiderit, si vivens comprobatus fuerit hanc illusionem fecisse, bannum dominicum, id est sexaginta solidos componat. Si vero non habuerit unde bannum componat, verbetur.

XVIII.

Ibid. c. 14. Quicunque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res aliqui alteri dederit sive vendiderit, & ipse qui tunc easdem res comparatas habet, per malum ingenium proprio filio suo aut alteri cui libet ne cum legitimos annos habenti justitiae tollendae causa tradiderit, volumus atque precipimus firmiter ut si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in causam rationem reddere pro filio suo. Si autem ipse pater mortuus fuerit, tunc legitimus ejus propinquus, qui ei tutor

juste ac defensor esse videtur, pro ipsa rationem reddere compellatur. Similiter & de omnibus aliis iustitiis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hereditate, que ei per successionem parentum suorum legitime obvenire debeat. Quod si quis hanc nostram iustitionem contempserit aut neglexerit, sicut de ceteris contemptoribus, ita de eo agatur. Is vero qui easdem res primum invaserit & injuste vendidit, nec non & emptor, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admirerunt, intra patriam emendare cogantur, & postea sicut contemptores iustitionis nostrae, sub fidejussionibus ad nostram presentiam venire compellantur.

XIX.

Statuimus ut si feminis, quae vestem habent mutatam, moechia deprehensa fuerit, non tradatur genicio, sicut usque modò, non forte quae prius cum uno, postmodum cum pluribus locum habeat moechandi, sed ejus possessio fisco redigatur, & ipsa episcopali subjaceat iudicio.

XX.

Vt missi nostri, ubique malos Scabinos invenient, eliciant, & cum totius populi consensu in eorum loco bonos elegant, & cum electi fuerint, jurare faciant ut scientes iustitiae judicare non debeant.

XXI.

Vt in omni comitatu hi qui veraces & meliores inveniri possunt eligantur à missis nostris ad inquisitiones facendas & rei veritatem dicendam, & adjutores Comitum sint ad iusticias facandas.

XXII.

Volumus ut quicunque de Scabinis deprehensus fuerit quod propter munera aut amicitiam vel inimicitiam injurie judicasset, ut per fidejussionem missus ad nostram presentiam venire compellatur. Et ceteris omnibus Scabinis denuntietur ne quis deinceps etiam justum iudicium videntem presumat.

XXIII.

De liberis hominibus qui super alterius terram resident, & usque nunc à ministris reipublicae contra legem ad placita trahebantur, & ideo pignorabantur, constituiimus ut secundum legem patroni eorum eos ad placitum adducant. Et si quis eos contra hanc nostram auctoritatem & contra eorum legem pignorare aut distingere presumperit, patroni eorum omnia cum lege emendet, & insuper pro presumptione bannum nostrum componat.

XXIV.

## XXIV.

Ibid. tit. 45. c. 2. Vt omnes Episcopi, Abbates, & Comites, excepta infirmitate vel nostra iussione, nullam habeant excusationem quin ad placita Missorum nostrorum veniant, aut talem vicarium mittant qui in omnibus causis pro illis rationem reddere possit.

## XXV.

Ibid. tit. 47. c. 8. Singulis Episcopis, Abbatis, Abbatis duos concedimus advocatos habere, unum qui caufam proceret, alium qui sacramentum deducat; eoque, quandiu adovationem tenerint, ab hoste relaxamus.

## XXVI.

Ibid. c. 9. Ut Episcopi universique sacerdotes habent advocatos, quia Episcopi universique sacerdotes ad solam laudem Dei & bonorum operum actionem constituantur. Debet ergo unusquisque eorum tam ecclesiasticis quam etiam propriis actionibus suis, excepto publico videlicet crimen, habere advocationem, non mala fama suscipiatum, sed bona opinio & laudabilis artis inventum; ne dum humana lucta attendunt, æterna præmia perdant.

## XXVII.

Ibid. tit. 48. c. 3. De viduis & pupillis & orphanis & cœcis & claudis tuitionem atque adminiculum habere precipimus juxta nostram possibiliter vel vires, sicut in præcepto Domini Regis continetur.

## XXVIII.

Ibid. tit. 51. c. 13. Ut in testimonium non recipientur de his capitulis, id est, de hereditate, aut de libertate, aut de proprietate, id est, mancipiis, & terris, fine de homicidiis, & de incendio, illi qui non habent, si convicti fuerint falsum dixisse testimonium, unde secundum legem compositionem plenam facere possint.

## XXIX.

Ibid. c. 14. c. 15. Quicunque comprobatus fuerit quod se scientie testes in perjurium produxisset, ad palatum nostrum sub fidejussionibus venire compellatur; & ibi cum fidelibus nostris consideremus quid de tali homine faciendum sit.

## XXX.

Ibid. c. 17. Quamquam sacerdotis testimonium credibile habeatur, tamen ipsi in secularibus negotiis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogantur; quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem eveniente causa aliquid audierint aut viderint, ubi nullæ idoneæ seculares personæ inveniantur, ne veritas occultetur, &

Tom. II.

malum in bonum aestimetur, in providentia Episcopi proprii sit, ita ut coram se aut competentibus judicibus aut aliter veritatem honorificè tollant.

## XXXI.

Ibid. c. 24. De judicibus, ut inquirantur si nobiles & sapientes & Deum timentes constituti sunt. Et jurent ut juxta eorum intelligentiam rectum judicent, & pro muneribus vel humana gratia justitiam non pervertant nec differant, & quod judicaverint, sua subscriptione confirmare non dissimulent. Vbi autem tales non sunt, à Missis nostris constituantur, & inde sacramentum facere cogantur. Quod si viles personæ & minus idoneæ ad hoc constituta sunt, eiciantur. Similiter & Notarij legibus eruditæ & bone opinionis constituantur, & jusjurandum prebeant ut nullatenus falsitatem vel collodium scribant. Et qui hoc fecisse præterito tempore inventus fuerit, praefacialiter damnetur, & perdat manum.

## XXXII.

Ibid. c. 42. De pontibus vero vel reliquis his similibus operibus quo per antiquam consuetudinem ecclesiastici homines & per justitiam cum reliquo populo facere debent, hoc præcipimus, ut Ecclesiæ rectores eos interpellent, & eis, secundum quod possibile fuerit, portio deputetur, & per alium exactorem ecclesiastici homines ad opera non compellantur. Si vero opus suum constituto die adimpletum non haberint, licet Comiti pro pena postpositi operis eos pignorare, juxta estimationem vel qualitatem imperfecti operis, quoisque perficiatur. Comes autem si neglexerit, à Rege vel à Misso Regi est judicandus.

## XXXIII.

Ibid. c. 43. De his qui sine consensu Episcopi Prefbyteros in Ecclesiis suis constituunt, vel de Ecclesiis suis eiciunt, & ab Episcopo vel à quolibet Misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum vvadiare cogantur, & per fidejussionem ad palatum venire jubeantur, & tunc nos decernamus utrum nobis placeat ut aut illud bannum persolvant, aut aliam artisdam suffineant.

## XXXIV.

Ibid. c. 44. De Ecclesiis quo inter coheredes divisæ sunt considerandum est quatenus si secundum nostram providentiam & admonitionem Episcopi ipsi coheredes eas tenere voluerint, & honorare faciant. Si autem hoc contradixerint, in Episcopi potestate ma-

V

neat utrum eas ita consistere permittat, aut reliquias exinde auferat. Et ubi ad nostrum beneficium Ecclesiae pertinentes ita divisa fuerint, ut describantur, & nobis nuntietur.

## XXXV.

*Ibid. c. 45.* De Ecclesiis destruētis, ut Episcopi nostrique Missi inquisitionem faciant utrum per negligentiam aut per impossibilitatem destructa sint. Et ubi per negligentiam inventa fuerint, Episcopi auctoritate emendare cogantur qui eas debuerunt restaurare. Si verò per impossibilitatem contigerit, ita ut plures sint quam necesse sit, aut majoris magnitudinis quam ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat qualiter emendari congrue & consistere possint.

## XXXVI.

*Ibid. c. 47.* Statutum est ut si quis liber homo per consensum Episcopi Ecclesiam in sua construxerit proprietate, fonteisque ab Episcopo in ea fuerint consecrati, ideo non perdat suam proprietatem; sed si Episcopus voluerit, officium sacri baptismatis in suam Ecclesiam transferat; ipsa vero Ecclesia, à qua transfertur, in constructoris maneat jure.

## XXXVII.

*Ibid. c. 48.* De decimis, ut dentur, & dare nolentibus, secundum quod anno præterito denueruntur, à ministris reipublicæ exigantur. Et elegantur quatuor sive novem homines optimi, vel prout opus fuerit, de singulis plebis, juxta qualitatem uniuscujusque plebis, ut ipsi inter sacerdotem & plebem testes existant ubi date vel non date fuerint. Hoc autem ideo tantos testes mittendos esse diximus, ne ibi juramentum aliquod faciendo necessitas incubat. Non tamen ideo tantos testes mittendos esse dicimus ut ipso semper omnes in dandis decimis præfentes esse pariter necesse sit; sed ut dum pluribus committitur, minus graventur. Duos autem testes, si adfuerint, sufficere credimus. Negligentes autem à Presbyteris Ecclesiarum admonentur usque ad tertium vicem ut ipsi decimant. Quod si contempserint, ab introitu Ecclesie prohibeantur. Et si hoc minime emendaverint, à ministris reipublicæ districti singuli per caput sex solidos Ecclesiis componant, & insuper deciman dare cogantur. Nam si iterum contemptores extiterint, tunc per publicam auctoritatem domus vel casæ eorum viventur, quoque pro ipsa decima, sicut supra di-

cum est, satisfaciant. Quod si denuo rebelles vel contradictores esse voluerint, & super ipsam vivam intrare presumperint, tunc à ministris Regis in custodiā mittantur usque dum ad judicium publicum perducantur; & ibi secundum legem vel ad Comitem vel ad partem reipublicæ componant; reliquam verò decimam, ut supra dictum est, & sex solidos ad Ecclesiā satisfaciant.

## XXXVIII.

Quicunque decimam abstrahit de Ecclesia ad quam per iustitiam dari debet, & eam presumptivè vel propter munera aut amicitiam aut quilibet aliam occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, per Comitem vel per Missum nostrum distinguatur ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituant.

## XXXIX.

*Ibid. c. 49.* De decimis quas populus dare non vult nisi quilibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, ut nec Episcopum vel Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad nostram præsentiam venire compellatur. Ceteri verò distingantur ut inviti Ecclesie restituant quæ voluntariè dare neglexerint.

## XL.

Vt terminum habeat unaquaque Ecclesia de quibus villis decimam accipiat.

## XLI.

*Ibid. c. 50.* Dictum est nobis quod in quibusdam locis Episcopi & Comites ab incestuosis & ab his qui decimas non dant vividas accipiunt, & pro Presbyterorum quorundam negligentis, & inter se pecunias dividant, quod penitus abolendum esse decernimus, ne forte avaritiae locus detur. Et constituiimus ut incestuosi juxta canoniam sententiam poenitentia multentur. Qui verò deciman post tertiam admonitionem & prædicationem sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Iuramento vero eos constringi nolumus, propter periculum perjurii.

## XLII.

*Ibid. c. 51.* Vbicunque commutationes tam tempore nostro quam genitoris nostri illegitimæ atque irrationabiles & inutiles in Ecclesiis Dei factæ sunt, dissolvantur, & recipiant unusquisque quod dedit. Vbi verò mortua manus interiacet, aut alia qualibet causa qua rationabilis esse videatur, inventa fuerit, diligenter perseribatur, & ad nostram notitiam perferatur.

## XLIII.

Ibid. c. 4. Si quis Episcopus, aut propinquitatis affectu, aut muneri ambitione, aut causa amicitiae, xenodochia aut monasteria vel baptismales Ecclesiæ sua Ecclesiæ pertinentes cuilibet per emphiteos contratum dederit, si suóque successores penam multandos conscriperit, potestatem talia mutandi rectoribus Ecclesiarum ablique penæ conscriptæ solutione concedimus.

## XLIV.

Ibid. tit. 18. Auditu comperimus in finibus Tusciae talia scripta esse prolatæ quæ sunt absque mente & die mensis; de quibus volumus ut si deinceps prolatæ fuerint, nullum habent vigorem.

## XLV.

Ibid. tit. 39. Comperimus quod ab his qui secundum

mundanam legem viduarum & orphorum tutelam fibi vindicant, non solum negliguntur, sed etiam aliquotiens opprimuntur. quibus ecclesiastica sollicitudine succurrentum esse censemus. Et si hujusmodi oppressionem ab episcopali admonitione corrigerem voluerint, gratulandum his est. Sin autem in obstinationis impietate duraverint, suggestum est Imperatori clementissimo quatinus ipse efficacem tutorem tribuat, ut & illi remuneratio reddatur à Deo, & de inutili silentio fæcorditalis ordo non damnetur.

## XLVI.

Diaconorum, Episcoporum, Presby-  
terorum filios Notarios, Sculdaios, Co-  
mites, judices fieri omnibus modis prohi-  
bemus.

TITVLVS VI  
EDICTVM  
DE RESTITVTIONE EBBONIS  
ARCHIEPISCOPI REMENSIS,

Datum anno Christi DCCCXL post mortem  
Ludovici Pij Imperatoris.

**I**N nomine Domini nostri Iesu Christi  
Dei æterni. Hlotharius divina ordi-  
nante providentia Imperator augustus.  
Quia confessio delictorum non minus in  
adversis necessaria est quam in prosperis,  
& cor contritum & humiliatum Deus non  
despicit, gaudium etiam esse angelorum  
in celo super uno peccatore penitentiam  
agente non dubitamus, nos mortales in  
terris eos nequaquam despiciimus pro qui-  
bus gaudere angelos in celo divino testi-  
monio non ignoramus. Acculantes & re-  
prehendentes in excessibus semetipos di-  
vina nos benignitas non condemnare sed  
recreare docuit, qui meretrice non so-  
lum à legali damnatione eripuit, verum  
etiam publicanum humiliatum & accusan-  
tem se non condemnavit, sed magis justi-  
ficando exaltavit, qui non dixit, *Omnis  
qui se humiliat condemnabitur, sed exalta-*

*bitur.* Potestarem ergo quam pro causa  
nostra raptus perdidisti, reperientibus Ec-  
clesiæ tua filii, sedem ac dioecsim Re-  
mensis urbis tibi, Ebbo, restituimus; ut  
pristino sanctæ largitatis apostolicæ pallio  
indutus, concordiam atque gratiam divini  
officij nobiscum, humili satiæfactione ex-  
pleta, solemni nostra à largitate recipien-  
do exerceas.

Drogo Episcopus assensi.  
Orgarius Archiepiscopus.  
Hedri Archiepiscopus.  
Amalviinus Archiepiscopus.  
Audax Archiepiscopus.  
Ioseph Episcopus.  
Adalulfus Episcopus.  
David Episcopus.  
Rodinus Episcopus.  
Giselbertus Episcopus.  
Flotarius Episcopus.

Y ij

Tom. II.